

**Dissertationem solennem de inflammatione cordis / ... p. p. Joh.  
Christianus Fabricius.**

**Contributors**

Fabricius, Johann Christian, active 1717.  
Berger, Johann Gottfried von, 1659-1736  
Universität Wittenberg

**Publication/Creation**

Vitembergae : Prelo Gerdesiano, [1717]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gt9sdvu3>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Q. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO  
DN. FRIDERICO AVGVSTO  
ELECTORAT. SAX. HEREDE  
DISSERTATIONEM SOLENNEM  
DE  
**INFLAMMATIONE  
CORDIS**

PRÆSIDE

D. IO. GOTHOFREDO BERGERO  
CONSILIARIO AVLICO ET ARCHIATRO REGIO  
COLLEG. MED. SENIORE ET PROF. PRIM.

*PRO LICENTIA*

IMPETRANDI

*SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES*

P. P.

IOH. CHRISTIANVS FABRICIVS  
RATISB.

AD D. APRIL. clō Iō CC XVII.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVEVIS.

VITEMBERGÆ, PRELO GERDESIANO.





13280

DE  
INFLAMMATIONE  
CORDIS

DISSERTATIO SOLENNIS

---

I.

**H**aud fatis scio, ullane re alia melius ratio perpetui mobilis, in quo inueniendo diu multumque multi laborarunt, quam machina motuque cordis, ostendi ac declarari queat. Id enim ea solertia, &  
A 2 tam

tam singulari ad motum inclinatione, architectatus est Parens rerum & effector sapientissimus, eoque artificio cum cerebro, totoque corpore, per arterias, uenas, ac neruos, coniunxit, ut, simul ac salire illud, succosque propellere, & his pulsare arterias cœpit, idem deinde, istius suæ ui fabricæ, & coniunctionis cum uasis, hisque adeo contentis, commotisue succis, alternis suarum auricularum, & uentriculorum motibus, alterni ope influxus, ex cerebello per neruos, atque ex arteria aorta per coronarias, cieri pariter ac ciere omnia in corpore & agitare debeat, quamdiu illa solidi & liquidi consensio cohæsioue perseverat. Adeo, ut, si remedium suppeteret, seruandæ saltem mollitiei fibrarum, atque succosæ teneritudini, & tuendæ meatuum in uasculis libertati idoneum, sicuti uegetatio, ita motus etiam cordis, ac corporis totius, uita denique ipsa, in perpetuum propagari, ac perennis, siue immortalis, reddi possit. Neque alio quidem nomine cor uitæ fons appellari meretur. Nam quæ de spiritu, igneque, nescio quo, uitali, & calido innato, ex corde, tanquam sede, aut foco, una cum sanguine in omne corpus diffuso, tradi uulgo solent, ea opinionum commenta iam prope

pe dies deleuit, ex quo clare constitit, cor nil, nisi muscolum, esse, uitali sanguinis circuitui seruientem, & actionem ipsius, uimque omnem, suarum contractione fibrarum, quam uocamus pulsum, ita contineri, ut datus unus cordis pulsus, illius necessitate quadam mechanica conuenientiæ consensusque partium, sibi, continuando, ipse sit causa. Hoc idem breuiter quidem, sed acute ac dilucide, uti solet, *Cl. Boerhaavius* ostendit, *orat. de usu rat. mechan. in med. et Inst. med. §. 409.*

## II.

**E**adem musculosa cordis fabrica & functio nos facile admoneat, qua ueri specie cum *Plinio, lib. II. hist. nat. c. 42*, multi, cor, existiment, solum ex omnibus uisceribus uitiis non macerari, neque supplicia uitæ trahere, læsumque, mortem ilico afferre. Ita quidem etiam ante illum *Aristoteles III. de part. animal. cap. 4.* cor, statuit, solum uiscerum, atque omnium omnino partium corporis, nullum uitium, pati graue, quod, cum principium corrumpatur, nihil sit, quod ceteris, quæ inde pendeant, præbere auxilium possit. Sed rectius ipso usu *Pissiniu, libr. I. de cordis palpit. cap. 1.* cognouit, cor, nobilissimum totius corporis uiscus, tam læuis,

ac immanibus excruciaci consueſſe affectibus, ut cum nulla totius humani corporis parte ſeuerius cunctarum rerum opifex natura egiſſe uideatur. Cum enim cor in perpetuo uerſetur motu, & ſuccum ſanguinemque, per arterias, in omnia membra, & cunctas membrorum partes, tribuat, eosque ex his tot diuerſis locis, aliarum deceſſione, aliarum uero acceſſione, tam noxiarum, quam utilium, particularum, & modis aliis, mutatos uarie humores, per uenas innumerabiles, in unam confluentes cauam, ac ſuccum praeterea, ex cerebello per neruos redeuntem, teſtis ac ſedibus ſuis recipiat: id quidem cuius manifeſtum eſt, cor in ſubſtantia, motuque ſuo, mille rebus, uel in ipſo, aut prope illud exiſtentibus, uel procul remotis, & in uiliſſima quaque hærentibus parte, uel etiam foris aduenientibus, animumque turbantibus, non uno modo affici lædique, & multas adeo, magnasque, non minus in mente, quam corpore, mutationes efficere poſſe. Quemadmodum crebra ualde experientia docuit, cor omnis generis morbis patere, nec ſolum ſibi communes cum muſculis aliis pati, uerum etiam ſæpe ac ſæpius, nec raro diu ſatis multumque propriis affigi.

## III.

**I**n horum ordine malorum merito numeratur illud uulgare maxime genus morbi, quod generi hominum nunc salutare, nunc perniciosum, in toto inhærescere corpore dicitur. Febrem puta, quæ profecto, quamuis uniuersum affligat corpus, propria cordis est affectio, & nihil aliud, quam crebrior ac uelocior cordis, atque adeo arteriarum pulsus, & qui eum sequitur, uarie acceleratus, turbatusque, sanguinis circuitus, a quo quippe tot multæ, grauesque sæpe, & nunc salutem, nunc exitium afferentes, in nobis mutationes proficiscuntur. Id quod non magis prudentum, quam populari observatione quodammodo constare potest, cum uulgari sermone, id quod apud Ciceronem est, dici solet, *si cui uenæ sic mouentur, is febrim habet.* Neque tam rari sunt, paucique, communes cordi cum musculis, membrisque aliis, morbi, ut etiam nunc apostemata ipsius & ulcera, ac magna quidem ea, & uetusta, cordaque sanie & tabo putrida, & maximam partem exesa paulatim, ac consumpta, incredibilia, & monstro vel portento similia, habenda putemus. Ita enim annotarunt, in mercatoris quidem Veneti, uul-



uulnere capitis mortui, corde, cum obiter thoracis partes perscrutaretur, post uulnus, cuius gratia sectionem instituerat, præter opinionem, ulcus, seu apostema, in ipsa auricula substantiaque cordis, magnitudine medii oui gallinacei, *Nicolaus Massa, Anatom. de corde*: in bibliopola Vindobonensi, qui, postquam eo anno, quo decessit, multa & crebra perpessus erat deliquia animi, iisque tandem obiit, aperto pectore, plusquam mediam partem cordis saniosam, & putredine absumtam, *Matth. Cornax, libr. de quadrienni gestatione foetus in utero*: a putrido pericardii humore cor, membrana spoliatum, exterioremque ipsius substantiam ab eodem humore profunde, & ita exesam, ut in lacinias & uillos carneos putrescentes abierit, reliqua substantia interiori contracta, flaccida, & marcescente, *Ol. Borrichius, in Actis Hafn. P. I. obs. LXXXIX*: in uiro, qui casu ab alto, affectuque pneumonico mortuus uidebatur, præter alteratum pulmonem, & sanguinem in thorace, ac serum in abdomine effusum, cor, abscessu iam disrupto, erosum, crustaque purulenta obductum, *Joh. Bapt. Fantonus, obseru. Anat. med. a Filio edit. XXIIIX*, ut plures alios hic taceamus.

## IV.

**F**requentiorem quoque, quam quidem existimemus, inflammationem non modo pericardii, sed ipsius etiam cordis, esse, hæc me observatio docuit, quæ digna mihi commemoratione uisa est, meque adduxit, ut de eo morbi genere, quantum quidem per ingenii uires licuerit, porro breuiter agendum putarim. Nondum elapsus est mensis decimus, cum Medicus huius loci florentissimus, annum agens XXXIII, morbo articulari, ut aliquo abhinc tempore quotannis solebat, in omnes propemodum articulos repente uehementerque irruente, per binas hebdomadas laboraret. Cuius quidem pertæsus mali, dum, nescio qua causa, subito cessantibus dolorum tormentis, se iam esse in tuto gaudebat, nouo mox morbo, eoque grauius uehementiusque implicitum se sensit, eiusque sæuitiam per dies aliquot expertus, consilium a Dn. Præside petiit. Is eum, in lecto erectum, perquam anxium, sollicitum, ac inquietum ualde, sibi que admodum dissimilem, inuenit. Inprimis autem eidem miseranda uisa est illa assidua, intus ferventis æstu, pectoris agitatio, qua spiritum crebro nimis celeriterque, sine

B

sterto-

stertore tamen, sine fonitu & sibilo, trahere, ac ideo, infirmis licet uiribus, erigi semper uolens, sæpiusque surgere, toto subinde recto corpore, re-  
ctaque cervice, ac hiante, præsiccoque ore, & aerem inspirare frigidum., & fonte gelido sitim explere inexplebilem nitebatur. Neque minus eum agitabat grauis anxii pressique cordis palpitationo, quæ sæpe in tremorem, cum magna ad animi defectionem propensione, uertebatur, & duobus abhinc annis primum obseruata, ac identidem deinde uel leui quodam animi, aut corporis motu, aliaue rediens occasione, ac paulatim recrudes-  
cens, merito eum sollicitum expectatione metu-  
que maioris mali reddidit. Inter hæc tussicula uexabat, sicca plerumque, aliquando etiam humida, quodque ea reddebatur, id paucum erat, & uel spumans pituita, uel aliquid flauum, aut sub-  
rubrum, aut cruentum. Calor in externo corpore non æque magnus, interiori uero in pectore, non sine aliquo doloris sub medio sterno sensu, maximus. Pulsus arteriarum debilis, creberrimus, inæqualis, inter tussendum semper robore crescens, & ualentior, postea uero illico decre-  
scens iterum, atque ad solitum debilitatis tenorem rediens, subinde tremulus, & minimus. Ac  
licet

licet uigilia continua, eaque perquam molesta, fatigaret, animus tamen stabilis & constans, sensusque omnis purus & integer erat.

## V.

**E**x quibus, collatis inter se, & comparatis, afflictus ita, sese acute, adeoque periculose febri- citare, & ipse intelligebat facile, nec difficulter persuaderi sibi patiebatur, intus in pectore, & uel in pericardio, uel ipso in corde, non modo inflammationem, sed etiam polypum, eumque in sinistro prae- fertim uentriculo, subesse. Et cum de uenæ sectione sermo incideret, neque uenas exangues videret, omiffam eam, uehementer dolebat, atque, omni recuperandæ ualetudinis spe orbatus, in illaque sola non nihil levandæ saltem afflictionis, & prorogandæ paulisper uitæ, fiduciam ponens, nihil ea magis sibi prodesse posse, arbitrabatur. Neque plane eum fefellebat opinio. Namque, secta cubiti uena, & missio pro ratione uirium sanguine, qui quidem frigescens, sanguini pleuriticorum similis erat, ilico cum fluente sanguine aliquam tot malorum leuationem experiebatur, ut eandem eodem die sanguinis missionem repetendam censeret, & noctem multo, quam antea, quietiorem transigeret. Sed non ita diu hæc durauit leuatio, cum postri-

die eius diei eadem vi symptomatum tentatus, nihil iam prius & charius beata analysi haberet, & ualetudine tam graui magis magisque debilitatus, ac demum fractus, deficiente paulatim calore, & refrigerentibus membris, mouendi etiam sentiendique vi pereunte, mente tamen constans, sub frigido sudore nono morbi die, subita correptus syncope, animam efflaret.

## VI.

**S**ecto post obitum pectore, non modo totum fere pericardium, usque ad diaphragma, sed cor etiam ipsum, maximam partem inflammatum, & gangræna sphaceloque correptum, & illud quidem, parte superiore, cordi circumcirca accretum, & crassum admodum, ac putridum, corque pariter putre, & quodammodo exesum apparuit. Aqua pericardii putrida itidem, saniosa, copiosaque erat. Pulmones sanguine ualde tumidi, cetera sani, multum, sectis uasis, cruorem fundebant. Aliqua etiam huius portio ex ruptis haud dubie uasculis quibusdam pulmonum in cauo pectoris occurrebat, siquidem uascula illorum tenuia admodum, & alias uisum fugientia, hic sanguine turgebant. Cor etiam naturali multo maius uidebatur, eoque aper-  
to

to, utrique uentriculo inter multos sanguinis grumos gemini inhærebant polypi, ex multiplici fibrarum albicantium, solidarum, & satis crassarum, atque ex iisdem contextarum membranularum congerie concreti, qui radicibus suis, ac ueluti pedunculis, partim scrobiculis, partim columnis carnis, & filamentis ualuularum infixi, & impliciti, digito omnes transuerso latiores, sed non æque crassi, tres quidem in utramque uenam, arteriamque pulmonariam, nonnihil spectabant, quartus uero, longissimus, ad spithamæ longitudinem in plures diuisus ramos, in aortam protendebatur.

## VII.

Ostendunt hæc, non uanam de incendio cordis, & inhærescente eidem polypo, coniecturam fuisse. Multaque eis, disquisitione digna, habentur, de quibus omnibus longum foret dicere. Ac de polypo quidem cordis non pauci hætenus, ipseque Dn. Præses alibi, sed nondum tamen satis, egerunt. Inflammationis uero pericardii, & membranarum intersepientium, inter paucos doctè P. Salius Diversus, de affect. partic. cap. IV, meminit, sed ita, ut cor incipientes uix tolerare posse inflammationes, iudicarit. In quo secutus est antiquos,

ex quibus *Galenus*, *libr. VI. de usu part. cap. 17.* ex cordis inflammatione semper homines celerissime interire scribit. Sed non ita raram hanc cordis affectionem esse, nec tam subitam perpetuo mortem afferre, ut minime ad artem spectare uideatur, præter alia multa, cum relata modo historia, ostendit, tum obseruatio *Fantoni* in milite, in quo, post grauem morbum feбри acuta defuncto, cor inflammatum, moleque maximum, & albican-  
tibus uariegatum maculis, substantiaque durissima, & pene scirrhusa, & atro colore, cum uasis coronariis turgidissimis, & duobus in dextro uentriculo polypis reperit, *l. c. obs. VII*, multaque nos alia admonent. Haud raro quidem eandem medentibus incognitam esse, existimari, & febris tantum cuiusdam, aliusve morbi nomine, tractari. Quemadmodum sibi & præceptoribus suis doctissimis euenisse, scribit laudatus modo *P. Salius l. c.* ut, cum nobilem Ianuensem, febris detentum acuta, quod ad oblata bene se haberet, lotiaque admodum laudabilia redderet, ex morbo conualiturum iudicarent, eum ex insperato, præcedentibus nonnullis animi deliquiis, nono die defunctum uiderint, de quo securi primo erant. Cumque dubitaretur inter Medicos de  
mor-

morbo, & orta esset ueneni suspicio, incisum mortui corpus, in eoque, nulla re alia præter naturam præsentem, inuentum fuisse in membranis interseptimentibus, & parte pericardii tumorem inflammatorium, satis notabilis magnitudinis, de quo nemo ante cogitarat, quamuis eius notæ, quas inde se didicisse fatetur *Salius*, non omnino defuissent, si omnia phænomena attentius paulo considerassent.

## IIX.

**N**equè adeo obscurum esse indicium inflammationis cordis, ut eam post mortem demum deprehendi posse, opinemur cum *Pissinio l. c.* phænomena monstrabunt, in febribus quibusdam acutis euenientia, si modo omnia, ut decet, recte attendamus. Nam sicut inflammatio cordis sine febre acuta esse nequit: ita symptomata, febribus quidem acutis omnibus communia, at quædam etiam alia, sibi propria, & singularia, habet, quibus ita se prodit ac patefacit, ut a febribus acutis & inflammatoriis aliis haud difficulter distinguatur. Ex his præcipue est maxima cordis anxietas, cum vehementi interioris pectoris ardore, nec sine aliquo doloris morsu sub medio sterno, quo loco cor situm, cono suo, & in anteriorem, & in sinistram  
thora-



thoracis partem uergit. Atque ea quidem anxietas cordis constans est, & continua, quamuis corpus extimum nunc magis, modo minus incalescat, uel sensu etiam frigoris afficiatur. Eandem inquietudo, & sitis semper maxima, & insatiabilis comitatur. Respiratio quoque multa, & crebra admodum, ac uelox, feruensque iungitur, non eo tamen modo difficilis, neque cum illo suffocationis metu, eaque præcordiorum, & totius pectoris grauitate, ac distentione, cuiusmodi in peripneumonia esse solet. Arteriæ motibus micant, initio non admodum exiguis, sed ualde tamen frequentibus, ac uelocibus, mox creberrimis, minimisque, & maxime inæqualibus, nec raro intermittentibus. Hinc uerò magna uirium imbecillitas sequitur, & uis caloris deficit, sudoresque frigidi, nunc his, illisue tantum partibus, maxime circa frontem, & iugula, nunc toto manantes corpore, animæque defectiones, funestum portendentes exitum, ingruunt. Subinde etiam palpitationes cordis, aliaque incidunt symptomata, de quibus nunc nihil attinet dicere, cum ea tantum, quæ cordis inflammationem, ut deinceps patebit, necessario sequuntur, eiusque adeo notas repræsentant, hic strictim attingere animus sit, nec necesse habeamus

beamus omnia, febribus acutis quoque aliis communia, plus satis quidem nota, percensere. Præfertim cum non sit difficile intelligenti ex his ea quoque, quæ illuc pertinent, huc referre. Id saltem hic, quod miremur, non omittendum, in hoc tam graui, igneoque cordis affectu animum tamen sibi constare posse, & maximam partem uerum deprehendi, id quod dixit *Aretæus, lib. II de caus. & sign. acut. morb. cap. 3*, eos, quibus cor laborat, & sensus aciem exquisitiorem habere, & mente etiam firmiore, atque animo puriore esse.

## IX.

**P**er inflammationem uero, quam Græci φλεγμονήν nominant, notum est, omne tumoris calidi genus intelligi, idemque ab aucto attritu partium sanguinis, in suo per minima arteriarum uascula in uenas socias transitu impediti, atque ab affluentis continuo reliqui sanguinis appulsu & agitatione commoti, compulsique, proficisci. Nam sedem eius tumoris nullam esse aliam posse, præterquam arterias extremas, in uenas, tam sanguineas, quam serofas, ductusque & poros uarios excretorios, abeuntes, satis ex natura

tura illius tumoris, eiusque cum circulo sanguinis collatione, constare potest. Id quod etiam ueteres non omnino ignorarunt, ex quibus, ut autor est *A. Corn. Celsus, lib. 1. de med. præf.* imprimis Erasistrato visum est, inflammationem oriri, si sanguis in eas uenas, quæ spiritui accommodatæ sint, id est, in arterias, transfundatur, atque ea quidem inflammatione talem motum effici, qualis in febre est. Ut merito mirearis, hodieque, post cognitum circulum sanguinis, a multis sedem inflammationis extra arterias, & uel in uenis, uel in fibris musculorum, porisque partium aliarum, collocari. Cui proinde tumoris generi cum partes omnes, arteriis donatæ, ipsæque adeo arteriæ, uenæ, nerui, membranæ, muscoli, glandulæ, adeps, ossa, cartilagines, tendines, uiscera omnia, pateant, ut perbene doctissimus *Boerhauius, aph. 374. de cognosc. & curand. morb. edit. alt.* monuit, nil quidem causæ est, quamobrem eodem cor immune ac liberum existimemus. Quod enim uulgo perhiberi solet, cor uel non admittere humorem noxium, aut eundem a sese, quam potest, citissime, longissimeque, propulsare, ita, ut exigua mora parum, uel nihil mali inferre queat, uel, si ille copia & uiribus præ-

præstet, ab eodem mox ita corrumpi, ac destrui, ut nulla fieri inflammatio possit, & mors ante rapiat, quam morbus patefcat, id quidem nulla neque ratione, neque experientia, nititur, sed ex antiqua infidentis in corde calidi innati, ac spiritus, ignisue vitalis, fabula originem habet. Illud potius iam clarissime constat, cor principem corporis musculum esse, & vi præli, tum & folli, & arcus, emboliue modo, receptum ex uenis uitalem in animante succum per suos uentriculos in arterias, omneque corpus, ita tribuere, ut quandam illius, uix aortæ dati, partem ui huius elastica repetat sibi, ac reddat. Ideoque ex illius trunco arteriæ, mox in ipso exitu ex sinistro uentriculo, tractæ profectæque propagine tam crebræ, multæque toto corde intextæ sunt, ut una cum continuatis iunctisque uenis omnem propemodum ipsius substantiam componant, & uix quidem punctum in ea uacuum relinquant, ut primus omnium subtili & accurata anatome sua, iucundissimo spectaculo, celeberrimus *Ruyschius* oculis exposuit. Atque hoc iisdem arteriis peculiare est, quod sanguinem ex aorta recipiant, ab eoque pulsentur, ac dilatentur, siue in diastole sint, cum illa, omnisque

ipsius innumerabilis reliquarum multitudo propaginum in systole, cor uero pariter in diastole uersatur, & sanguinem ex uenis atque auriculis in uentriculos suos admittit. Hisque non alienum est id, nuper admodum a quibusdam animaduersum, obiter addere, sanguinem, ex arteriis coronariis in uenas socias inuectum, non omnem per uias ordinarias dextro cordis uentriculo, sed partem illius quandam, per ramulos quosdam uenosos, immediate utrique uentriculo reddi. Ex quibus patet, singularem sanguinis circuitum per ea cordis uasa fieri, idque refluos ex toto corpore, & cum iisdem aduectos ex primis uis, & bonos, prauosque succos, non modo per suos mittere uentriculos, sed etiam, aliarum more partium, in uasis propriis, fibrisque colligere, & incorruptos etiam humores motu suo uario uariis deprauare modis, & morbis adeo uariis, tum inflammatione quoque, affici posse.

## X.

**N**amque uti sanguis, in partibus ceteris corporis, ita etiam in corde, in sua per minimas arterias progressionem ita impeditus, ut in iis hærens

rens angustiis, ab affluentis incurfione fanguinis pulsetur continue, atque ad fuarum conflictum tritumque partium incitetur, inflammationem parit, & caufam eius continentem ac proximam conftituit. Hinc enim neceffe eft, tumor oriat, cum dolore, rubore, & calore, quia fanguis, in iftis circuitus uiis, ob denegatum commodum transitum, reftagnans, & iugi accedentis a corde fanguinis, ipforumque, quibus coerce- tur, motu uafculorum, pulfatus, & magis ma- gisque coactus, & compressus, atque, expreffo humido tenui, magna coaceruatorum ui ac turba globulorum tumens, tot uafa minima, quæ ma- ximam plerumque laborantis ita partis molem conftituunt, non folum plus æquo, atque ad di- ftractionem uillorum ufque, replet, ac diftendit, & tumidam adeo partem turgidamque reddit, fed etiam fuorum, quibus turget, rubore globu- lorum imbuit, ac mutuo eorundem motu ac impetu, & in fele, & in uafcula illa, expreffo ar- dore æftuque, & ipfe feruet, & uafa, fibrasque, quibus pars inflammata conftat, perfundit. His uero mirum non eft etiam pulfationem iungi, quam quippe proiecti a corde fanguinis impe- tum in humorem ftagnantem, & obftructi du-

Etus latera, ad extremos usque huius ramulos extensum, consequi oportet.

## XI.

**E**x his non difficile erit ostendere, quo modo cuncta inter se consonent, & conspirent, ab unaque inflammatione cordis eueniant phænomena, quæ eam necessario comitari, & quibus illam cognosci posse, diximus. Ac primo scire licet, æstu illo sanguinis, ipsis in arteriis cordis accenso, indeque cum sanguine refluo per uenas coronarias, partim per cauam, partim immediate in uentriculos cordis propagato, hoc necessario ad motum incitari creberrimum, celerrimumque, ac eo uix receptum ex uenis & auriculis sanguinem ilico in arterias expelli, & simili has celerrimo motu cieri, oportere. Quem ideo motum & pulsum arteriarum tanti fecit, prædictus *Fantonus*, *l. c.* ut eum, præsertim cum aliis coniunctum signis, neque obscurum, neque incertum inflammationis cordis indicem, non fallente successu, habendum putarit. Hinc uero, patet, uelociorem quoque circuitum sanguinis, non sine resistentia in minimis arteriis, reddi, & mutuuum partium eius attritum, inter sese, & in  
uasa

uasa illa, augeri, ac ideo æstu febrique corpus iactari uniuersum, hoc quidem magis acuta, debere, quo citius incendium cordis funesta quadam gangræna ad finem properat.

## XII.

**E**odem igneo æstu, intus in uasis, fibrisque cordis concepto, porro facile intelligimus, acerbissimum anxietatis & ardoris sensum, non sine doloris morfu, commoueri, præsertim cum sanguis, qui arteriæ aortæ elatere celeri nimis cursu adactus in coronarias, dum magnam in suo per illas circuitu resistantiam reperit, & obstructis uis perpetuo illisus, ac restagnans, per alias, adhuc patentes uias, tanto maiori ui fertur, & latera earum urget, utraque uasa, tam obstructa, quam adhuc libera, magno uiolentiæ impetu distendat, fibrasque eorum, tum etiam motrices cordis, non uno modo molestissime laceffit, & afficiat. Hanc uero anxietatem, quiuis uidet, augere, & respirationem una frequentem, ac celerem, feruentemque reddere impeditum sanguinis per pulmones circuitum. Cum enim cor ipsum iam præcipitans tam præcipiti celeritate sanguinem, feruoris æstusque plenum, in ar-

te-



teriam pulmonalem impellat, ut pari uelocitate per ramos illius in uenam pulmonalem omnis transire haud possit, necesse est, eodem uasa illa nimium repleri, ac tumere, & horum tumore uesiculas & bronchia pulmonum comprimi, ac libero, solitoque aerem in ea aditu arceri, atque adeo ad parandam huic uiam, ac superandam sanguinis resistantiam, motumque eius promovendum, spiritum tam crebro multumque trahi, atque anxietatis, æstusque intimo in pectore molestiam cumulari, ac magnam ei inquietudinem iactationemque iungi. Et cum in feбри ardente magnum sit, & aeris frigidi, & gelidi potus, desiderium, nil mirum, si in feбри hac inflammatoria, ubi ipsa arx uitæ incendio flagrat, ex eoque ignis spiritu per uias pulmonum redditur, humidum earum, & oris, linguæque siccans, & frigidi auiditas aeris, & sitis semper maxima sollicitet, & angat. Atque eos quidem animi & corporis cruciatus incendium cordis ciet, quamuis calor exteriori in corpore sit remissior, & intepescat, aut plane cum frigore commutetur. Nam ita afflicti & debilitati cordis motus necesse est paulatim ualde imminuatur, & languidior fiat, licet frequentia eius augeatur, ita, ut cum summa frequen-

quentia imbecillitas tandem maxima coniungatur. Iam ita se habens, cor, sanguinem creberrime, celerissimeque, sed minori copia, & uigore, in arterias eiciet, eoque cursus & circuitus, tritusque humorum minuetur, & calido in frigidum, squalore in imbrem uergente, uis tandem uitæ, & totus naturæ nexus dissoluetur.

## XIII.

**H**æc satis, nisi me fallit opinio, ideam inflammationis cordis adumbrare uidentur. Quibus uero causis existat eadem, ac gignatur, id facile aliunde ex generali doctrina inflammationis constat, ut minime necessarium sit, eas hic ordine omnes persequi. Nam quicquid quoquo modo circuitum sanguinis per arterias coronarias ita turbare ac impedire potest, ut quædam illius portio in finibus earum consistat, atque a reliqui affluxu sanguinis ad suarum, quibus constat, motum tritumque partium incitetur, illud in censum harum causarum referri meretur, de quibus optime *Bærhavius l. c.* Ex his præcipue est ipsius moles ac redundantia, & diathesis præsertim sanguinis densa nimis, & spissa, quæ ideo merito inflammatoria dicitur, quia eiusmodi sanguis crassitie sua facile alicubi in minimis arteriis hæret, & neque afflu-

D

entis

entis motui sanguinis, neque contractioni arteriarum cedens, frequens admodum plurimarum origo inflammationum existit. Talis constitutio ex sanguine, uena secta in pleuritide, & inflammationibus aliis, misso, pelliculam albam, densamque formante, notissima est. Ac huiusmodi quidem sanguis non minus etiam causa febris, quam effectus esse solet: cum nempe sanguis, motu æstuque febrili, expresso, ac dissipato humido aqueo, tenui, ac diluente, lentescit, ac eo prope modo, quo sanguis recens uena missus, isque liquidus satis, & rutilans, leni coctione in offam quandam, siue massam crassam lentamque coit, tam crassus tensusque redditur, ut commode ubiuis per arterias, quamuis id sua systole contentur, progredi nequeat, sed iis alicubi pertinacius inhærescat, & alieno, nimirum inflammationis motu trituque in iisdem agitetur. Qua quidem ratione fieri obseruamus, ut nunc inflammatio febrim, modo hæc illam antecedit, & pariat. Adeo, ut uix febris ulla acuta, eaque imprimis maligna, sine inflammatione sit, ut scite notauit *Autor de purg. med. a cur. sord. cap. XI.*

## XIV.

**A**d hanc diathesin sanguinis merito referas oberrantem illam seri crudi, lentique colluuiem, quæ

quæ fusa per sanguinem, ac dispersa, & ui uitæ ab interioribus ad exteriorem corporis habitum, atque ad extremas eius partes, quæ articulis inter se conferuntur, depulsa, horumque uasis & ductibus excretoriis impacta, & collecta, grauia in iis dolorum tormenta, nec raro inflammationes, minus quidem perniciosas, excitat. Huiusmodi enim crassior materies, si in motu illo defluxuque ad extrema corporis impediatur, &, quoquo modo facta metastasi, a summo corpore ad uiscera, uitæque penetralia transeat, pro illorum quidem uarietate, in quæ incumbit, uaria, eaque grauiissima mala, ac repentinam aliquando mortem, inferre solet. Inter ea uero inflammationes, cum uiscerum aliorum, tum cordis quoque esse, satis rerum usus docet, neque obscure supra relata historia declarare uidetur.

## XV.

**Q**uod autem humores noxii in hac, illaue tantum parte hæreant, id uel inæquali eorum distributioni, uel defectui spatii, uel imbecillitati partium suscipientium, tribuendum uidetur. Vt enim circuitus uitalis fiat, libertas pororum requiritur, nec modo uiuida cordis actione, qua flumen sanguinis per omnes arterias prouehatur, sed etiam

recto harum tono, uel debita tensione, opus est, qua eæ illi sanguinis impulsioni propulsionique cedere satis, eaque recte dilatari, & pari uigore resilire, atque alterna contractione, cum cor in diastole est, humores undique premere, atque per uasa minima, ex arteriis in uenas, ductusque alios, urgere & propellere possint. Vnde, si alicubi partium uilli arteriolarum, uel rigidi nimis sint, ac influenti cedere sanguini, & dilatari nequeant, uel laxi nimis, & distenti, tonoque deiecti, cedant nimium, & uiuida satis contractione contentos propellere humores minus ualeant, fieri omnino facile potest, ut humores etiam boni, inprimis uero spissi, lentique, iis in uis adhæreant, & accumulentur, ac, intercluso eundi redeundique commercio, inflammationem pariant. Id quod hoc facilius euenire intelligimus, quo magis sanguis redundat, & quauis causa concitato cordis pulsu, conuersio ipsius acceleratur, uelociorque redditur, qua quippe cum etiam quantitas sanguinis, per unumquodque uas dato tempore fluentis, augeatur, necesse est hoc maiorem eius resistantiam in uasis minimis fieri, & partem ipsius spissam nimis, ac lentam, intus residere facilius, & obhærescere, atque inclusam penitus in exilibus illis uasculis, tam subito sequentis sanguinis cursui officere

ficere & obstare, atque stagnationem inflammatoriam inducere. Atque hæc quidem si ad uasa cordis propria accommodemus, & tam motus perpendamus, quam tot eorum mutationes, quibus illud per omnem uitæ cursum tam uarie cietur & agitatur, omniaque in corpore ciet & agitatur, hisque addamus, in cor omnem humorum molem, & cum eadem tam noxia, quam utilia deriuari, & partes ipsi affectas omnes noxam infligere, causam habebimus non unam, quamobrem non minus cor, quam partes ceteras, quas commemorauimus supra, suscipiendæ inflammationi idoneum opinemur.

## XVI.

**D**e Diagnosi iam ante suo, & opportuno, loco diximus. Non autem opus est, ut multa huc de Prognosi afferamus. Namque illud ex partis laborantis præstantia, morbike natura, & magnitudine, ac ui symptomatum, unicuique patet, grauiissimum hoc & mortiferum esse malum, atque initium eius quidem recipere curationem, ubi uero penitus insedit, insanabile esse. Nimirum spes est sanationis, si obstructio inflammatoria, matura citaque stagnantis sanguinis resolutione, progressionem

que per apices arteriarum in uenas, referetur, atque expediatur ante, quam separata, expressaque parte serosa, compressus arctius, restitans humor, contumaciorem eandem reddat. Tum enim, si magna præsertim sit inflammatio, uehementia mali debilitatum, fractumque, cor moueri desinit, & syncope subita uitam extinguit, uel breui gangræna & sphacelus consequuntur, quod itidem præceps exitium affert, uel in suppurationem abscessumque, aut etiam in duritiem quandam scirrhosam fit transitus, quod utrumque non æque semper mortiferum censendum est, sed pro ratione magnitudinis suæ, & roboris uirium ægrotantis, nunc citius & repente hominem necare, aliquando uero aliquandiu uiuum relinquere, & tardius conficere eundem potest. Neque enim tam subitam semper perniciem inflammationem cordis afferre, ut, priusquam adolescat, & cognoscatur, interimat, experientia testatur, qua septimo, nono uel demum die ita laborantem interiisse, constat. At uero uitam interdum quoque diutius seruari, uel illud satis comprobare uidetur, quod cor & putredinem, & apostemata perferre aliquandiu posse, ac sæpe tulisse, exempla nos doceant, quæ mox in limine dissertationis in medium adduximus,

mus, ut non sit necessarium, plura hic alia commemorare.

## XVII.

**E**x his uero iam illud etiam clarum atque perspicuum est, scopum curationis omnem in eo consistere, ut turbatus per uasa cordis coronaria circuitus instauretur, priusquam sanguis, in angustiis arteriarum inclusus, insideat penitus, & tam firmiter hæreat, ut deinde loco moueri, & prouehi ex iis in uenas minus possit. Quamobrem initium curandæ huius inflammationis erit certe a uenæ sectione, mox principio mali, sine mora matureque instituenda, qua quippe, quia, demta, quanta satis est copia, parte sanguinis, impetus eius & resistentia in arteriis minimis cordi obnitens, minuitur, & uis harum elastica excitatur, ac ualidiore earum motu pressi quassatique solutio sanguinis, & totius liberior fluminis progressio ac circuitus, unaque uiuidior uniuersi exspiratio corporis redditur, si ullo alio remedio, nulla illata naturæ ui, solui diathesin sanguinis & obstructionem arteriarum inflammatoriam, ac prohiberi incrementum mali posse, ipso usu ita compertum ac deprehensum est, ut merito in febribus huiusmodi inflammatoriis nullum



lum sanguinis missione præsentius ac tutius præsidium, eaque omissa, nihil æque in summum adducere discrimen, omnis ætatis præstantissimi quique medici existimarint. Qua uero moderatione in adhibenda uenæ sectione utendum sit, ex uehementia æstus, & syndrome plethorica, ac habitu corporis, roboreque uirium constabit, pro quarum uarietate rerum, nunc modica, modo copiosa, simplici item aliquando, & unica, aliquando semel iterumque iterata, sanguinis missione opus erit. Nam magna pars coniecturæ, atque artificiosæ rationis, actio item prope omnis, quæ rationem insequitur, ex eiusmodi rebus capienda est. Quæ si minus obseruentur, & sanguis uel intempestiue, uel plus eius, quam ferre uires possint, detrahatur, non minus, quam ab omissa uenæ sectione, uitæ periculum creabitur. Nam unica hic spes salutis ipsa erit uirium fortitudo, sine qua nihil medicina proficit.

### XVIII.

**S**anguine, ut conuenit, misso, ea inprimis conducent, quæ sine magna naturæ agitatione lentum spissumque sanguinem diluendo, ac dissoluendo, eiusque feruorem temperando, transpirationem  
pro-

promouent, &, excitato per uniuersum corpus blando sudore, obstructions inflammatorias expediunt. Quem quidem sudorem, si ueterum consulamus monumenta, in pleuritide, & inflammationibus internis aliis, maxime salutarem iam tum *Hippocrates, lib. III. Epid. sect. III, text. 79, & lib. I. de cris. cap. 18. Galenus*, annotarunt, atque ex recentioribus, cum Syluio, tanti fecit *Deckerus*, ut ea methodo tutissime, citissimeque, inflammationes illas curari ac tolli, iudicaret, *Exercit. Pr. c. VII.* In tanta uero illorum multitudine & uarietate remediorum ea inprimis probantur, quæ ex offeis & duris animantium partibus, sale fœtis uolatili, constant, & mixta cum diaphoreticis stibiatis, cinnabarinis, succinatis, salibusque fixis, ac præsertim nitrosis, additis decoctis cornu cerui, uel eboris, rad. scorzoneræ Hispanicæ, & aq. prophylact. Syluii, lactis alexiter. sambuc. card. bened. scabios. oxalid. bugloss. borrag. ceras. & similibus, liquida potionis forma adhiberi solent. Ab opiatis, & uolatilibus, atque calidioribus, uel ignea sanguinem exagitantibus, hic merito prudentes abstinendum, putant. Ipsa quoque camphora nonnisi magna circumspectione utendum est, quæ alioquin, in tantilla dosi nitrosis, aquæ item prophylacticæ Sylu. uel aceto theriacali, permista, uel sua resolvente, ac discutiente, æstumque

temperante, in huiusmodi febribus sæpe perquam salutaris esse solet. Plurimum uero mixturam Paracelsi diaphoreticam in peracutis, ac eam quidem recte paratam, iunctamque inprimis cum spiritu nitri dulci, in febribus quibusque inflammatoriis ualere, satis experti sciunt. Atque ea quidem itidem optime decoctis addita, aquisue modo laudatis, ui diluendi, ac temperandi, aperiendique, diaphoresin adiuuantibus, aut fero quoque lactis caprini, ita adhibetur, ut simul fiti consulatur. Nam simplici nouimus potu, ex decocto hordei & rad. fœniculi in aqua fontis pura, ac præsertim addita deinde particula salis nitrosi, uel guttis quibusdam laudati iam diaphoretici, larga manu, & pro libitu sumto, hac quidem conditione, ut blandus in lecto sudor expectetur, non hunc modo facillime motum, sed lotium quoque copiosum redditum, infractumque æstum cum præsentissimo auxilio fuisse.

## XIX.

**H**æc si minus iuuent, nihil profecto proficiet, nec ualebit lapis bezoar, qui malis institutorum artibus fere semper adulterinus est, nihil lapis histricus, uulgo pedro del porco, nihil os cordis cerui, nihil tinctura coralliorum cum spiritu cordis cerui, nihil cornu monocerotis, nihil margaritæ,

garitæ, nihil fragmenta lapidum pretiosorum, aurumque ipsum, & apparatus antidotorum omnis, ac secreta quorundam, non tam solido, quam splendido cardiacorum ac bezoarticorum nomine nota, nec magis uulgi, quam magnatum opinione celebrata, quibus cor corroborari, & contra uim morborum muniri, uirusque omne expelli e corpore, putant. Vis quidem uitæ & robur cordis seruandum. Seruabitur uero, si, qui premunt morbi, causæque omnes, constructioni motuique cordis aduersæ, amoueantur, ac læsa quoquo modo constitutio ipsius naturalis, quam fieri potest citissime, instauretur. Quorum, quiuis uidet, cuncta pertinere, quæ uim habent excitandi, ac debitam succorum copiam, & indolem, ac fluiditatem, & circuitionem sanguinis, secretionemque humorum, quibus sua fibræ motricibus, uti partium aliarum, ita cordis quoque, uis elastica constat, respiciunt. Hac ratione ipsa sanguinis missio, humorum demens abundantiam, imbecillitatem uirium, quam minus intelligentes, præsidium illud pertimescunt, extemplo aufert, & languentem cordis atque arteriarum pulsum, qui uix percipi amplius poterat, actutum ita excitat, ut inter præstantissima cardiaca referri iure queat. Neque enim remedia alia, quæ, uti uulgaris est opinio, cordi pro-

xime seruiant, uspiam reperiuntur. Quapropter, scite inquit doctissimus Pissinius l. c. lib. II, cap. 3, cordialia nuncupata medicamenta, aut nihil sunt, aut eadem quoque & ocularia, & splenetica, & cephalica, uel a quauis alia corporis parte sumta denominatione, poterunt appellari. Quod enim ubique calorem tuetur, quod ubique refrigerat, quod adstringendi uim ubique habet, cur potius cordiale medicamentum, quam cephalicum nuncupetur? Constat uero, quod suapte natura frigidum est, partes omnes refrigerare, tum quod calidum est, excalescere. Quodsi quid est, quod, ubi præ calore cordis uirtus elanguescat, refrigerare possit, nec tamen ultra, quam par sit, id efficiat, illud quoque cordiale fuerit, atque sic medicamina omnia, quoniam diuersis cordis affectibus conferre possunt, cordialia dicentur. Quamcunque igitur noxam morbosæ tulerint constitutiones, congruis, id est, contrariis expellere auxiliis tentandum est; ita enim quo minus cordis robur euanescat, prouisum satis fuerit. De illis uero tam decantatis bezoarticis non omnino iniquum est iudicium Sancti Sanctorii, quod meth. uitand. error. lib. XIII, cap. 4. legitur: Bezoartica laudantur a pharmacopoeis, quia iis citius, quam aliis medicinis, ditescunt: hæc aliquando probus medicus cogitur exhibere, quamuis sit manifestissi-

ma impostura; quoniam, dum æger in deterius labitur, si antea medicus bezoartica non adhibuerit, omne putant illi esse malorum acceptum referendum.

## XX.

Igitur missis, quæ plus sumtus & impensarum, quam uirtutis & medicinæ, habent, remediis, in iis quidem, quæ ipse rerum usus commendat, tum ipsa maxime ratio comprobat, merito hic acquiescimus. Ita uero etiam reliqua, quæ ad hanc curationem pertinere uideri possunt, & eluendam aluum, uariaque respiciunt symptomata, non est operæ pretium, adscribere, sed ex curatione febrium acutarum peti facile possunt, cum omnia his similia esse debeant, quæ istis in febribus fiunt. Neque opus est, ut remediorum externorum hic mentionem faciamus, in quibus prædicandis nimius uidetur laudatus modo *Pissinius*, cum *l. c. lib. II, cap. 5*, regionem cordis succo semperuiui, aut portulacæ, uel plantaginis, rosaceo admisto, uel etiam aqua rosacea, myrtillorum, nymphææ, phyllitidis, portulacæ, plantaginis, in quibus & santali rubei fragmina, tum rosarum flores, ac cytini maduerint, perfundi, eidemque regioni uniones & corallia, ex oleis nenupharino, papaueris, ac rosaceo, uel myrtino excepta, pastillos item e spodio, santalis, terra sigillata, e cha-

rabe, & camphora, admoueri non sine adiumenti spe posse, arbitratur. Qui enim naturam affectus, & affectæ partis situm, illorumque uires remediorum considerat, is, tuto ea, aliaque, omitti posse, censebit. Profecto si ab adhibita mature sanguinis missione, ac facili liberalique sudore, æger non releuetur, certum est, inflammationem cordis ad incrementum properare, & medicinam morbo imbecilliolem esse. Neque tamen propterea labor, quem hic sumimus, inanis uideri potest. Nam is omnino usus rei futurus est, ut mature re-  
 ðeteque malo huic tam celeriter ingrauescenti occurramus, & si remedio id grauius uideatur, periculum repente cognoscamus, atque prædictione nos a calumnia uindicemus, & inutilem ac tædiosum, quo ægrotus sæpe magis, quam ipso morbo, torquetur, remediorum apparatus euitemus, neque ideo tamen ab eodem recedamus, & solis miserum fletibus ac querelis relinquamus, sed iis eum præfidiis, quæ non inflammare, sed lenire & mulcere uim mali, uitamque, quoad licet, propagare possint, sustentemus, memores illius, quod præclare *Soranus* nos admonuit, humanum esse, in extrema quoque desperatione languentes penitus non deserere.

P. 7. lin. 7. crebrior leg. crebrior p. 20. l. 21. uti sanguis leg. sanguis, uti  
 p. 26. l. 13. tensus leg. densus,